

1439 triremes duæ, celoces quatuor, sex galeones, & ganza-
riolæ septem: quarum duæ, conserta pugna, ab initio dilat-
psæ, Turbulas trepida se fuga recepere: reliqua classis
cum ipso Zeno Præfecto in hostium potestatem venit. Ca-
pti ad hæc Thaddæus cum Valerio & Leone legatis. Ac-
cessit ad eam cladem, quod & Madernianam arcem po-
stridie, quam ita infelicitè est pugnatum, hostis occu-
pavit. Ferunt, rem diu antea a Sforcia prævisam, moni-
tosque sèpius ab eo Patres, ut supplementum in lacum
mitterent: fore, ut nisi id mature facerent, classis illa,
quam ad eam diem paratam habuissent, hostibus paulo
post prædæ esset. Ipse vero Turbulas Penetramque (ne
ab hoste victoria elato, subito incursu opprimerentur) va-
lido præsidio firmavit. Ea clades Venetias allata ingenti
mœsticia Patres affecit: verum ne ob id animum remisisse
viderentur, continuo novam classem decrevere, diversa
tamen ratione ab illa priore ad Benacum statuendam: ut
soluta videlicet materia sexcentis plaustris Turbulas con-
veheretur, ubi velut navalí quodam aquis proximo trire-
mes octo texerentur, totidem galeones, ac celoces qua-
tuor. Omnes Veneti navalis opifices ad opus subito con-
ficiundum destinati: classis imperium Stephano Contareno
demandatum, ac singulis triremibus singuli patricii præ-
fecti. Missum ad id stipendum in castra in aliquot futu-
ros menses, missa ex tyrone supplementa, & commeatus
vis ingens.

*Nova ex-
struitur
classis.*

Hæc tota fere æstate illa gesta. Venerat jam autumni
tempus, qui per se morbificus tertiam ferme exercitus
partem paucis diebus febre implicuerat: quapropter Sfor-
cia Gebetum cum omnibus copiis concesserat. Hostis ad
Vigasium nihilo incolumiore exercitu stativa habebat:
præter febrem atrox quoque pestilentia castra illa fuerat
adorta. Patres, quos Brixiensum periculum torquebat,
ea cura velut cunctarum maxima, animis hærebat: quæ
eo major per eos dies incesserat, quo in majorem despe-
rationem fama amissæ classis eos adductos existimabant.
Mittunt ad Sforciam, qui publico nomine rogarent, ut
prius.